

3233

S Y N O D I C I.

3234

sermo presens cum sitis ipsi per me tanquam prelatum et superiorem vestrum immediatum visitandi &c. Autor eruitur ex verbis mox sequentibus: non mihi ut Reynbero sed abbati Hornbacensi, quod Coenobium in Ditione Bipontina ad Lotbaringiae fines est.

XXXVI. fol. 412. Varia ad Institutum et Consuetudines O. S. B. pertinentia, praemissa Bulla Martini V. contra Simoniacos data Mantue VIII. kal. Dec. anno Pontif. secundo.

XXXVII. fol. 420. Theodori de Monasterio Opusculum ad S. Aegidii Colon. Moniales de Reditibus annuis in suum usum convertendis, ut jam alias, docente Indice.

DCCCCLXIV.

547 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 239. 4. caractere minuto difficili exaratus et quondam pertinens ad Coenobium Ord. Cist. Vallis S. Petri in Heisterbach Collectanea exhibet ordine sequenti: I. Varia de Potestate ecclesiastica e Scriptis Job. Gersonis, et Conciliis Basl. Constant. et Nicaeno excerpta.

II. fol. 13. Alexandri domo Fassitelli patria a S. Elpidio Marchiae Anconitanae Oppido Ord. Erem. S. Aug. Prioris Generalis et Episcopi Melfetani Libri II. de Ecclesiastica Potestate. Prooemium incipit: Sanctissimo in christo patri ac Reuerendissimo domino domino Johanni (XXII.) diuina prouidentia sacrosancte Romane ac uni-

uersalis ecclesie Summo pontifici. frater alexander de sancto Elpidio fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini theologicæ facultatis professor licet inutilis et indignus cum summa reuerencia deuota pedum oscula beatorum. Presens opusculum clementissime pater de ecclesiastica potestate ex dictis catholicorum Doctorum Collegum &c. Uterque Liber Capitibus X. definitur, potiusque de Pontificia quam de Ecclesiastica Potestate inscribi debebat, ita liberalissime in Pontificem congeruntur omnia. L. I. C. 6. et 7. probatur, Potestatem Jurisdictionis in Episcopis et Curatis non esse immediate a Christo. L. II. magna pars infumitur in adferenda Pontifici Plenitudine Potestatis in Temporalibus. Verum Liber hic in Codice valde imperfectus est. Totum tamen Opus studio Angeli Vantii Erem. Aug. vulgatum esse Arimini 1624. testatur Felix Ossingerus in Bibl. Ordinis p. 312. ubi et Autorem nostrum ad plures abiisse discas a. 1325.

III. fol. 33. Excerpta varia, videlicet ex Augustino Triumpho dicto de Ancona pariter O. Erem. Aug. de Potestate Ecclesiastica, libro saepius edito. De Friderico II. Imp. volente auferre temporalia ab Ecclesia, ejusque hac de re ad Principes Epistola, quae est in Editis L. I. 2. Ex Pastoralis Ade de Marisco. Puto Franciscani hujus Angli intelligi Epistolam ad Sewallum Archiep. Eborac. datam, ut ait Tannerus in Bibl. p. 8. a. 1253. quamvis iuxta alios

3235

CODICES

3236

Sewallus sedem primum a. 1256. conscenderit. *Ex Revelationibus Brigitte contra Sacerdotes celebrantes scienter in peccato mortali.* Edita. *Magister Nicolaus Orem* f. Oresmius Normannus mortuus a. 1382. *contra Mendicantes.* Opusculum, unde Excerptum istud, in *Bibl. S. Victoris Paris. ms.* habetur teste *Launojo* in *Acad. Paris. illustr.* P. III. L. I. p. 459.

IV. fol. 47. *Inuestiua preclsi Magistri H. de Hassia contra Monstrum Babilonis. tempore Scismatis inueterati in Concilio Constan. ter-*

Caes.

Si conueniat Vrbanum quintum Brigittam de swecia, Ducem Britannie Karolum rationabiliter canonizasse.

Si deceat quorundam sanctorum festa sollempnius peragere quam sanctorum Apostolorum.

Si iustum sit quosdam Cardinales et prelatos Ecclesias veteres deserere et sub eisdem redditibus nouas capellas erigere. &c.

Ni quis vero similius dicere malit, *Caesareum* potius Exemplum a Librario hinc inde contractum fuisse, cum alter *Codex Caes. supracit.* paene legat, ut *Helmaestadiensis.* Ad calcem praesentis adiecta sunt quaedam e *Poemate* Nostri de eodem *Scismate*, quod *Cod. CLXVI.* indicauimus.

minati. Initium: *Universis Nauiculae Petri gubernacula inter vndosi maris procellas regentibus &c.* *De dimus Tractatus hujus Caput I. ad Cod. XC.* Defuerat illud in *Codice Helmsf.* unde *Hardtius* editionem adornarat *Agor. Conc. Const. T. II. P. I.* Adest vero etiam in praesenti *Caesareo*, ad quem totum *Tractatum* exigere fortassis haud foret inutile; *Helmaestadiensem* enim a recentiore manu aliquid humani passum suspicio obrepere possit. Sequentia saltem *Loca* collata *Lector* expendat:

Helmsf.

Si conueniat, Urbanum V. Brigidam de Suecia, Ducem Britannie Carolum, non obstante nimia Sanctorum multitudine canonizari?

Si deceat quorundam novorum Sanctorum Festa solennius peragi, quam praecipuorum Apostolorum?

Si iustum sit, priores Sanctorum solennes Ecclesias deserere et destrui, redditibus a collectoribus vel Cardinalibus levatis. Et quandoque post ad eorum memoriam, vel quasi gloriam, capellulas novas edificari &c.

V. fol. 64. *Epistola informatiua super scismate.* Inscripta: *Illustriissimo Principi Domino Roberto Juniori Comiti Palatino Duci Bauariae Electori.* *Quidam Clericorum minimus.* *Robertus* hic est II. dictus *Parvus* et *Tenax* *Electo* ab a. 1390 — 98. *Clericum* vero illum habeo *Henricum* nostrum *de Hassia*, quamvis *Epistolae*

3237

S Y N O D I C I.

3238

lae hujus mentionem nullibi reperiam. Incipit illa: *Que sunt salutis proprie et aliorum semper cogitare et cogitata semper diligenti executioni mandare. Hoc autem ut semper et promptius docta nobilitas efficere valeat, preter multa licet exilia et inutilia, que Ego qualiscumque super destruendo flebili scismate scripseram* (puta Epistolam Pacis, Poema, Dialogum) fama ingenue probitatis Vestre pre ceteris scientiarum fulgoribus illustrate tandem me compulit scribere aliquid etiam Vestre serenitati. si forte estis ille Principum electus qui dabit ex syon salutare israel &c. Texit itaque Historiam Schismatis a. 1378. in Ecclesia exortis, ejus damna percenset, et ad opem ferendam sollicitat. Sub Epistolae finem id memorabile: *Tempus est, ut considerent Germanorum Principes et Prelati. quorsum tendant ea que nunc aguntur olim inaudita mala. Quid est, quod studia dissipantur Gallie* (ubi Autor iis vacaverat) *sol sapientie ibi eclipsatur. recedit sapientia transiens ad gentem alteram* (ut ille Viennam) *Nunquid non jam apud germanos Lucerne 4^{ta} sapientie accense sunt, hoc est, quatuor generalia studia* (Coloniae, Erfordiae, Heidelbergae, Viennae) *veritatis radijs choruscantia. Quibus extinctis non durabit Ecclesie vigor ac decor &c.*

VI. fol. 70. *Alexander dictus Pe (trus) De Candia Ordinis Minorum dedit hanc Bullam pro Mendicantibus Que in Concilio Constantien. cassata fuit et reuocata.*

Sermo est de *Alexandro V. Pont.* qui a. 1409. quarto Id. Octobr. Pisis in favorem Mendicantium Constitutionem edidit, quae hic sequitur incipiens: *Regnans in excelsis triumphans Ecclesia &c.* et legitur apud *Wadding. in Annal. Minor. T. IX. p. 508.* et in *Bremondi Bullario O. P. T. II. p. 501.* Constitutionem excipit: *Scriptura oblata Reformatoibus in Concilio Constan. ab Univeritate Parisien. super revocatione dicte bulle.* Incipit illa: *Quia Reuerendissimi patres et insignes domini Alma Mater nostra Vniuersitas studij paris. semper habuit et habet zelum legis et fidei &c.* Non inuenio *Scripturam* hanc, qua *Constitutionis* dicte abolitio petitur, in *Actis Concilii*, neque apud *Caes. Egas. Bulaeum*, quamvis hic T. V. p. 189. recitet factam a. 1408. a *Job. de Gorello O. M.* revocationem V. *Propositionum*, quae tota quanta *Scripturae* nostrae inserta est. Rem hereditario contra *Mendicantes* spiritu a *Parisiis* actam illa sub finem marginis nota declarat: *Fiat hic exclamatio contra Mendicantes.* Claudis Συνοδικα istud *Responso fratrum Mendicantium super reuocatione et cassatione Bulle presignate*, hoc initio: *Reuerendissimi in christo patres et domini metuendissimi. Ad petitionem ut fertur factam ex (parte?) Vniuersitatis Studij parisien. qua petitur ut per hoc sacrum Concilium Generale reuocentur quedam Bulla. quam petentes dicunt surreptitiae impetratae &c.* Nescio, quid hac *Responso* effectum

festum et qua fide Codex subdat: *Nicbil isti Mendicantes admissi concludebant in audiencia publica, sed quieti cum rubore verecundie abibant.*

VII. fol. 82. *Contra Detractores beati Bernardi.* Additum minio: *Pro Conceptione Virginis Marie et quibusdam alijs in Sermionibus de omnibus Sanctis.* Initium: *In medio Ecclesie aperuit dominus os deuotissimi et beatissimi sui Bernardi &c.* Agitur potissimum de nota ejus ad *Canonicos Lugdun.* *Epistola*, qua Festum immaculati Conceptus improbare videtur, et quidem Autoris anonymi verbis hoc ordine: *Primo respondebo illis qui maculam ponunt in ipsius (Bernardi) gloriam. Secundo illis qui calumpniam struunt in eius doctrinam. Tertio aperiam — quid sobrie sentiendum sit absque omni ambiguitate de Conceptione virginis gloriose.* Atque hic mentem suam sub finem ita aperit: *Si sit verum (Virginem absque labe conceptam fuisse) sine culpa nescitur et taceatur. Si vero sit falsum, non sine peccato asseritur.*

VIII. fol. 91. *Traſtatulus egregij Doctoris H. de Has. contra Maculatores beati Bernardi.* Inſcribitur: *Reuerendo in christo Patri ac domino Domino Jacobo Abbati Ebbirbacen. sacre Theologie famoso Doctori Henricus de Hassia utinam minimus Christi seruulus. &c.* Initium: *Quidam nuper non leuis querele tumultus mihi intonuit in aures. In quo sensi non sine graui displicentia sanctissimum Patrem Bernardum reuerende memorie Ab-*

batem Clareuallen. diuinitus inspiratum doctorem Ecclesie mellistuum contra Emulos in quadam Epistola ita exclamantem: Audiui audicionem vestram et timui &c. Acris est Inueſtiua in *Franciscanos et Dominicanos* circa B. V. Conceptum diffidentes, propter fabulam quod *Bernardus*, ut ait Noſter, apparuit cuidam *Monacho cum macula in pectore* dicens illam se habere propter peccatum originale quod dixit inesse virgini, cujus Fabulae primum Autorem facit *Guarronem* seu *Guil. de Waria O. M. Jobannis Duns* dicti *Scoti πατριωτην* et *Parisiis Praeceptorem*, citatum a *Franc. Mayrono* ejusd. Ord. in III. *Sententiar.* Plura non addo, cum extet *Opusculum* curante *Jac. Wimpelingio* et *Seb. Titione* sive *Brand Argentinae 1516.* 4. typis editum, qui hunc titulum praefixere: *Henricus de Hassia plantator Gymnasti Viennensis in Austria contra disceptationes et contrarias praedicationes FF. Mendicantium super Conceptione B. Virginis, et contra maculam S. Bernardo mendaciter impositam.* Qui porro praecedens etiam *Opusculum Henrico* nostro tribuere volet, me non invito fecerit.

IX. fol. 113. *Collectanea varia:* 1°. *Contra Doctores moderni temporis, Auditores et modum audiendi.* 2°. *E Magistro Humberto* (de Romanis O. P. Magistro Gen. V.) *super Regula S. Augustini.* Extat haec *Expositio* in *Bibl. PP. Lugd. T. 25.* 3°. *E Traſtatu de Periculis novissimorum Temporum,* qui est *Guil. de S. Amore* a nobis jam

jam *Cod. DXLV.* et saepius indicatus. 4°. *Vtrum Papa possit facere quod quilibet christianus non confiteatur semel in anno proprio sacerdoti. Vtrum non possit facere, ut religiosi in qualibet provincia audiant confessiones sicut proprii sacerdotes.* 5°. *De Religiosis possessionis, de Exemptione, de Priuilegiis, de sacre scripture expositione.*

X. fol. 130. p. 2. *Traſtatus Egidij (Columnae O. Erem. Aug.) de Roma contra Exemptos.* Initium: *Beatus Augustinus 7. de ciuit. c. 30. dicit sic: Sic Deus omnia que creauit administrat &c. Censet Capita XXVI. et extat Opp. Aegidii T. I. et unico Romae 1555. p. 1. f. a quo Exemplo Codex noster sub finem aliquantum differt.*

XI. fol. 153. resumuntur *Collectanea: 1°. Contra Monachos proprietarios. 2°. De Errore Ydolatrarum gentilium ex tractatu Johannis Damasceni per modum dialogi compilato. Videlicet subposita ei Barlaam et Josaphat Historia. 3°. Contra Gentiles Ex Summa doctoris sancti. Nempe Thomae Aquinat. 4°. Contra Supersticiosos. 5°. Ex dictis magistri Gerardi groit Contra Focariſtas.* Propositiones illae XXIV. jam relatae *Cod. CCCXIX.* quem, si commodum, adi. In praesenti carent Prooemio.

XII. fol. 167. Circa materiam errorum *Ecclesie et dioc. Traiecten.* Ita inscribuntur *Instrumenta IV.* pertinentia ad graves illas et pessimi exempli discordias inter
Denis *Codd. Theol. V. I. P. III.*

Rudolphum Dieboldium Can. Coloniensem et Praep. Osnabrugensem et Swederum a Culenburgo Praep. Traiectensem, quorum ille a. 1423. a quatuor Capitulis, non tamen absque incusso metu, electus est Episcopus; hic vero bona Martini V. Pont. venia, qui a. 1424. Ecclesiam Traiectensem Episcopo Spirensi Rabano contulerat, a. 1425. huic Rabano Praeposituram suam pro ipso Episcopatu Traiect. cessit. Rem narrant Appendix Chronici Job. de Beka edit. Ultraject. 1643. p. 132. f. et Wilb. Heda edit. ejusd. p. 284. quo Lectorem remittimus, ea, quae Instrumentis nostris, ut videtur, ineditis ad Caussam continentur, indicaturi. Primum itaque inscribitur: Exhortacio Theologicae facultatis Vniuersitatis Coloni. ad obedientiam Sedis Apostolice concurrente consilio Jurisperitorum in utroque Jure. et incipit: Ad hoc veni in mundum vt testimonium perbibeam veritati. Job. 18. Hec verba apte congruunt theologicae facultati auctoritate Apostolica priuilegiata, vt ipsa oblata opportunitate praesertim eadem auctoritate concurrente perbibeat testimonium veritati &c. Rudolphus cum fibi adhaerentibus a designatione Swederi per Pontificem facta appellaverat, neque pensi habebat Abbatem Insulae B. V. Traiectensis Delegatum Apostolicum censuras intentantem, nisi a vexandis Swederi Partibus desisteret. Libratum itaque fulmen in Belgio, repetitumque Romae a Martino monente, cavendum: a communica-

3243

C O D I C E S

3244

nicatione et conuersione cum illis, cum quibus uiuere et communicare non licet fidelibus Christianis. Rudolphus nihilominus cum Suis Divina peragere et ab iis abstinentes gravibus afficere damnis. Consulta ergo Coloniae Academia iudicium tulit sequentibus IV. Propositionibus: I. quod diſſe dyoc. Religioſi ac alij obedientes huiusmodi (Pontificis) mandatis non ſolum rite et canonice ſed et tucius egerunt et conſulcius a diuinis deſiſtendo. II. quod huiusmodi Religioſi et Perſone Rebus ſic permanentibus nequeunt diuina reſumere niſi licuerit Apoſtolica auctoritate. III. quod ipſi iudem religioſi et alij huiusmodi ad propria redire et bonis ſuis gaudere libere debent permitti. IV. Perſone deuote eiusdem dyoc. quecunq. ſi diuina non uelint audire neque audiant, permitti debent in ſua libertate. Ad calcem: Acta MCCCCXXIX. In domo domini Decani noſtre facultatis.

Sequitur Epistoſa. Magiſter Jo. Luberti Magiſtro Wilhelmo de Lochem. Magiſter hic Rudolphum ejuſque Adpellationem ad futurum generale Concilium contra Pontificem tuetur, nixus maxime Conſtantienuſum Decretis et Scriptis J. Gerſonis. Initium: *In Criſto iheſu frater amantiſſime. Bullam cum eius impugnationibus adnexis transmitto uobis ut petiſtis. Ipſa eſt enim illa quam (per) Mendicantes impetratam Uniuerſitas Pariſien. certis ad hoc adductis Rationibus impugnauit et fecit reuocari prout ſcitis. &c. De Bulla Ale-*

xandri V. hoc Cod. N. 5. adlata ſermonem eſſe puto.

Reſcriptum Magiſtri Wil. Loebem eidem magiſtro Johanni Luberti. Initium: Collegi ex torrente ſcripturarum quinque media ſeu quinque Concluſiones ex Auctoritate Romanis Pontificibus a deo conſeſſa quaſi ex paſtorali pera extraſta ſiue extraſtas, quibus Arcem veſtrorum Munimentorum obruere, uoſque non modo inermem uerum eciam letalibus undique uulneribus conſodere et conſoſſum oſtendere conabor &c. Hic itaque longe prolixior limites Epistoſae egreditur, ſcholatiſticoque Traſtatu evincere nititur, ſtandum eſſe Rudolpho Pontificis Mandatis.

In eandem ſententiam abit IV. *Instrumentum* pariter, ut uidetur, Coloniae conceptum praemiſſa, quae dicitur, Facti Specie, in hunc modum: *Vacante Eccleſia Traieſen. dominus R. (Rudolphus) fuit ad Eccleſiam poſtulat, Cuius poſtulacionem papa reiiciens prouidit domino S. (Swedero) de Eadem. A cuius prouiſione Ciuitas Traieſen. et tria Opida tranſyſelana. ſ. Dauen. Campen. et Swollen. appellarunt. &c Additur, Traieſenſes uis Literis Apoſtolice adpellationem deſtituiſſe, non uero Tranſiſalanos, unde hoſ Interdicto ſubpoſitos. Quod iure factum longa deinceps traſtatione contenditur, cui ſubſcriptum: *Hiſ motiuis premiſſis ſubſcripſerunt Magiſtri Theologie et utriuſque Juris ſua nomina et cognomina tanquam Furi et Rationi conſonis. Et**

ta-

3245

SYNODICI.

3246

tamen *Swederus* terga vertere, et *Basileae* in Concilio a. 1433. extorris mori opus habuit, ut pluribus *supracit.* Historici.

XIII. fol. 192. *Epistola magistri G. groet de scismate.* Tractatum potius theologicum dicas pii Viri *Gerardi Groot* five *Magni Daventriensis*, Institutoris Clericorum *Communis Vitae*, dignissimi, cujus vitam *Thomas Kemp.* nobis conscriberet. Adi de *Eo Foppenii Bibl. Belg. P. I. p. 354.* ubi dicitur *Epistola* nostra ad *Cantorem Parisiensem* scripta. Ejus initium est: *Magister et pater reuerende. De scismate nullum uidi de nouis ita clare et doctoraliter locutum sicut thomam in 2^a. 2^o.* — *Juriste loquuntur promiscue de Heresi et de scismate.* — *Michi uideatur quod scisma est magis facti. heresis est magis in mente diuisio et discessus, et discessio est quedam realis facti separacio. Vnde scisma non includit heresim, sed disponit ad heresim &c.* Atque ita sensim ingreditur in Quaestiones temporis sui, quo *Urbanus VI.* et *Clemens VII.* Ecclesiam dividebant, magna libertate usus, ut vel e fine colligas: *Quidquid sit, sic suggestit mens, que valde unitatem desiderat, que uellet, quod ambo pontifices cum omnibus cardinalibus cantarent in celo empyreo gloria in excelsis et alius uerus elyachim poneret pacem et unitatem in terris eciam si non esset ex progenie uiperarum. sed hec est hora et potestas tenebrarum. liberet nos deus a malo amen. Ve primum et ecce ue secundum, sed libera nos a malo*

piissime pater criste altissime qui nullum amare concupimus nisi in te et in sponsa tua dilectissima inconsurtili.

XIV. fol. 197. *Ex Dictis Doctoris eximij Henrici de Gorickam scripta ydonea contra Apostatas Wyclepb. Hufs et Suos.* In margine: *In uniuersitate Colon.* Ibi enim *Batavus* noster *Gorcomiensis* ab a. 1419. Professor, *Gymnafii Montani* Regens, *Canonicus* et *Procancellarius* fuit. Excerpta incipiunt: *Circa materiam errorum Wiclepb et Hufs queritur questio talis. Vtrum optimum regimen Ecclesie ad salutem cbristi fidelium requirat unum summum pontificem &c.* Tractatus, unde depromta, lucem uidit *Coloniae* 1503. teste *Harzbemii Bibl. p. 119.* ubi et reliqua Viri Scripta.

DCCCCLXV.

Codex chartaceus lat. Sec. 349

XVI. Folior. 281. f. scriptus in *Italia* et cum *Bibliotheca Fuggeriana Caesareae* illatus ita insignitur: *Ad sanctissimum atque beatissimum Patrem D. Eugenium Papam Quartum Fratris Iohannis Leonis Romani Ordinis Praedicatorum: De Synodis et Ecclesiastica Potestate, incipit Liber primus.* Autor de *Sede Pontificia* bene meritus post *Basileensem*, *Florentinamque* Synodos episcopatu *Larinensi* in *Sicilia* citra *Pbarum* regno donatus est ab eodem *Eugenio* anno 1440. quem fortassis usque ad an. 1488. tenuit. Opus illius VII. Libris definitur, quo-

A a a 2

rum